M0008064: Isidore of Seville: Etymologiae

Publication/Creation

July 1941

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/v9hendqt

License and attribution

Wellcome Library; GB.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Quod uero gratilius peruenerit eximium. quod cum frangitur inuisibile spiramentum emittit ad imaginem nebule seu pulueris. Amomum uocatum quod ueluti odorem cinnamomi referat. nascitur in siria et armenia frutex botruosum semen reddens sibi connexum flore albo. ueluti uiole foliis similibus brionie. odore etiam bono somnos suauificat. Cassia nascitur in arabia. uirga robusti corticis et purpurei. foliis ut piperis. Est autem uirtutis cinnamomi similis sed potentia inferior. Unde pro cinnamomo uice duplex eius pondus in medicamentis admiscetur. Calamus aromaticus a similitudine calami usualis uocatur. gignitur in india multis modis geniculatus. fuluus. fragrans spiritus suauitate. Qui cum frangitur in multis fit scissilis. simulans gustu cassiam cum leui acrimonia remordente. Balsam arbor in iudea intra terminos tantum uiginti iugerum erat. postea quam eandem regionem romani potiti sunt etiam latissimis collibus propagata est. stirpe similis uitis foliis rute. sed albidioribus semperque manentibus. Arbor autem balsamum. lignum eius xilobalsamum dicitur. Fructus eius siue semen carpobalsamum. sucus opobalsamum. quod ideo cum adiectione significatur. eo quod percussus ferreis uncis cortex ligni per cauernas eximii odoris guttam distillat. Cauerna enim greco sermone ope dicitur. cuius guttam adulterant admixto cyprino oleo. uel melle. sed sincerus probatur a melle. si cum lacte coagulauerit. ab oleo si instillatus aque aut ad mixtus facile fuerit resolutus. Preterea et si lanee uestes ex ipso pollute non maculantur. adulteratus quidem neque cum lacte coagulatur. et ut oleum in aqua supernatat et uestem maculat. Balsama autem si pura fuerit tantam uim habent. ut si sol canduerit sustineri in manu non possint.

De herbis aromaticis siue communibus.

Extant et quarundam herbarum nomina que ex aliqua sui causa resonant. habentes nominum explanationem. nam non omnium herbarum ethimologiam inuenies. Nam plerisque mutantur etiam nominibus. Folium dictum quod sine ulla radice innatans in indie litoribus colligitur. quod lino perforato siccantes in dicta atque reponunt. Fertur autem paradisi esse herba gustu nardum referens. Nardus herba est spicosa unde et a grecis nardostachys appellata. quarum alia indica. alia siriaca. uocatur. non quod in siria nascitur sed quod mons in quo inuenitur alio latere indiam ex spectat alio siriam. Est autem indicum multiforme. sed melius siriacum leue fuluum comosum spica paruum odoratissimum cyperum simulans. quod si multum more tardauerit siccat linguam. Nardum celticum a regione gallie nomen traxit. Nascitur enim sepius in ligurie partibus et in siria. frutice paruo radicibus in manipulo collectis ligamentis. flos eius tantum propter odorem bonum tersi eius atque radicem utiles probantur usibus nostris. Costum radix herbe est nascentis in india. arabia. et siria. sed melius arabicum. Est enim album et leue. suauis iocundi odoris. Indicum colore atro et leue. ut ferula. Siriacum uero pondere graue. colore buxeo. odore acri summum tamen album leue aridum gustu incendens. Crocum dictum ab oppido cilicie qui uocatur coricium quanquam et alibi nascatur. sed non tantum uel tale quale in cilicia. Unde et a potiori parte nomen accepit. Nam multe res nomen sumpserunt a locis ubi plus proueniunt et melius aliquid. Optimum autem est quod fuerit recens. odoris boni. albidine parua. porrecte longitudinis. integrum. et neque in fragmenta comminutum inspiratione bona. et cum carpitur manus inficiens